



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Quomodo & quo affectu studijs se applicarit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

rumq; rerum, summâ cum honoris significatio-
 ne. Illud præterea antiquum illi erat, in
 orationibus, commentationibus, collectioni-
 busq; animi, de studijs seriò peragendis, fir-
 miter secum statuere; ad quæ subinde hisce
 verbis scriptis sese excitabat: *In Religionem
 venisti, non otij, sed laboris gratiâ. Hæretici
 tanto conatu studia sua aduersus Christum con-
 ferunt; tu pro tuendo Christo diligentiam inter-
 mittes? Seculares contentione tantâ ad inania
 honoris præmia labores conferunt studiorum, &
 tu minus diuinæ gloriæ cupidus eris, quàm illi
 laudis suæ? Serio te igitur ad studia applicato;
 nullam vel minimam temporis particulam per-
 dito, & quidquid inter disputandum exceptu
 dignum audieris, adnotato.*

Semper igitur duo illa, quæ apud se decre-
 uerat, constantissimè tenebat: & quem nul-
 lus frangebat labor, tum quoque maxima-
 rum rerum effectrix constantia egregiæ eru-
 ditionis fastigio collocauit. Iam, ne quid tem-
 poris otioso efflueret, perpetuò secum habe-
 bat libellum aliquem aut sacrum, aut studijs
 vtilem; eumq; si quo loco diutiùs ei reman-
 endum erat, statim explicabat, legebatq;.
 Calamariam thecam ad disputationes sem-
 per adferebat in scholam; altissimoq; silen-
 tio ad argumenta responsa q; attendens, re
 nullâ aliâ distractus, si quid audiret expeditu
 diffi-

difficile, aut clariùs explicatum, breuiter excipiebat scripto. Alterumque præterea libellum sibi confecerat, titulo, *Boni Scholastici Societatis*, in quem documenta varia è Regulis maximam partem decerpta congefserat, vtilem fanè nostris omnibus, quemque his verbis absoluit: *Denique memor sit in omnibus se filium esse adeò bonæ Matris Societatis IESV.* Magni omninò faciebat doctrinam Præceptoris sui, omnesque eius opiniones non solùm tuebatur ipse, sed & collegas, vt id quoque facerent, adducebat. Ad aliorum Professorum scripta numquam diuertebat, vixque etiam oppugnari sententiam Magistri sui patiebatur; qui sensus eius cum publicè notus esset, subinde nonnulli Patrum, præfente Ioanne, per iocum sententiæ alicuius auctoritatem eleuabant, vt Ioannes ad tuendam eam (quâ erat animi alacritate ac promptitudine) acriter se obiectaret.

In cubiculo stans semper studebat quiete magnâ, dubitationesque breui excipiebat chartâ, Magistro mox proponendas. Si quid in dictatis occurrebat perplexius, quod explicare ipse non valeret, animum, instar præparati foli, explicabat Deo, ad diuinæ sapientiæ fatus excipiendos, orabatque genibus flexis: *Domine tu scis, hanc me rem absque ope tuâ per tenuitatem meam assequi non posse:*
obsecro,